



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Art. IV. Quid servandum judici circa sententiam & pœnam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

Resp. II. Gravius torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia, non tamen ita, ut moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habita ratione personarum. Unde si hic excedatur, confessio extorta erit involuntaria, & habenda pro nulla, etiamsi extra tormenta coram Iudice ratificet, metu novæ torturæ, *Laym. c. 5. n. 11.*

Resp. III. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant: quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram Iudice, repeti tortura potest, tum quia indicia manent in suo vigore; tum ob inconstantiam. Si verò tertio tortus ac confessus, tertio retractet, absolvendus est quia præsumendum est, vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam. *Less. c. 29. d. 17.* Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiose à Reo negari, *Laym. l. c. v. Cardin. de Lugo d. 37. num. 156, Dian. tom. 3. tr. 6. R. 16 & 23. Trul. l. c. v. infra hic dub. 6. & 7.* An quando, & quomodo Iudex possit interrogare Reum de complicibus, v. *Trul. l. 18. c. 1. d. 22.*

#### ARTICULUS IV.

*Quid servandum Iudici circa sententiam  
& pœnam?*

Resp. I. Iudex debet judicare secundum leges.  
Unde inferior Iudex ordinarie non potest pœnam

nam relaxare, vel minuere, etiam si actor consentiat, nisi aliquando ad bonum Reipub. aliter necessarium esse dicitur Epitkia, vel nisi de privato tantum injuria actoris ageretur, *S. Th. 2. 2. q. 65. 5. Regim. l. 25. n. 643. Bon. & c. Trul. l. 8. c. 1. d. 1. 2.*

Dixi, inferior: quia supremus ob justam causam id potest; sine causa tamen graviter peccaret secundum *Cajet. V. Ind. x.* quia animaret delinquentes, & concurreret ad peccatum, An autem liceat intercedere apud Judicem pro liberatione Rei, *v. Bon. l. c. & Trul. l. c.*

Resp. II. Si in aliqua causa fuit Advocatus, & eadem Judex esse, & sententiam ferre non potest. *L. eos in princ. c. de appell. & L. Praeor. de jurisd.* quia iudicium ejus habetur suspectum, propter affectum ad unam partem, ut ex communi Doct. docet *Sanch. l. Conf. c. un. dub. 26.* additque non sententiam non fore validam: quod tamen alii negant, si sit Judex ordinarius) *Card. de Lugo de just. d. 4. s. 1. n. 4. v. etiam Dian. p. 3. t. 3. misc. R. 56.* ubi ex Corduba sentit, talem Judicem in conscientia non peccare, si sine affectu, secundum legem altera parte insciã judicet.

Resp. III. Quem Judex privatã scientiã scit esse nocentem; si juridice sit probatus innocens, non potest condemnare: quia judicat ut persona publica, ideoque sequi debet scientiam publicam, ac procedere secundum allegata & probata, praesertim in favorem Rei. *D. Thom. 2. 2. q. 67. Navar. c. 25. Cajet. E. ll. Less. Bon. d. 10. q. 2. p. 2.*

Resp. IV. Quem Judex privatim scit esse innocentem, si juridice probatus sit nocens, tenetur omnimodo

modo liberare, si potest, v.g. impediendo accusa-  
tionem, extrahendo iudicium, aperiendo carcerē,  
(si sine majore malo potest) remittendo causā ad  
superiorem, & si sic nihil efficiat, probabiliter qui-  
dem plurimi Doctores tenent, cum *S. Thom. l.c.* ob  
rationem paulò ante datam, quòd possit conde-  
mnare: veriùs tamen videtur contrarium, quod  
cum aliis docet *Less. l. 2. c. 19 d. 10. Sa, v. Iudex. Pe-  
trus Nav. Fill. Bon. d. 10. q. 2 p. 2. n. 2. Tol. &c. vid.  
Card. de Lugo, d. 37. f. 14.* quia directè occidere in-  
nocentem, est intrinsecè malum; ergo quomodo-  
cumq; sciatur esse innocens, erit peccatum; *Less. l.c.*  
In causis tamen civilibus, & criminalibus minori-  
bus, ubi tantum agitur de pœnis pecuniariis, po-  
test etiam Judex, secundum hos auctores simplici-  
ter procedere secundum allegata & probata: tum  
quia innocens per appellationem potest restitui in  
integrum: tum quia Respub. habet potestatem in  
bona suorum civium, quando bonum publicum  
id requirit; in hoc casu, ne forma publicorum judi-  
ciorum cum populi scandalo evertatur, *v. Laym.  
c. 2. n. 8. Less. d. 10. Bon. l. 5. n. 4.*

*Queres. 1.* Quid faciendum Judici, cum utrimq;  
sunt sententiæ probabiles in quæstione juris, v. gr.  
an ex testamento minus solemni debeatur hære-  
ditas?

*Resp.* Debet ferre sententiam secundum opinio-  
nem de jure probabiliorem, saltem si sit Judex su-  
premus. Neque tunc videtur tenendum, quod  
quidam docent, eum satisfacere conscientia, si  
causam adjudicet defendenti se probabiliter, li-  
cet altera probabilius. Ratio, quia Judex est cõsti-  
tu-

tutus, ut secundum merita causæ, & sententiam quæ ei maximè videtur rationi consona, causam decidat, quia alioquin esset acceptor personarum.

Dixi, si supremus sit: quia si sententia aliqua communiter sit recepta in tribunali superiore, Iudex inferior videtur secundum eam posse judicare licet minus probabilem: quia videt probabiliorum, cum honoris sui præjudicio, revocandam in superiore tribunali, *Laym. l. 1. rr. 1. c. 5. §. 3. num. 16. ex Sylv. v. a. §. v. tamen Card. de Luca. d. 37. f. 10.*

Resp. II. Si opiniones oppositæ æquè probabiles videantur, non licebit uni eorum adjudicatum rotum pro suo arbitrio, cum uterq; æquale jus habeat; sed suadebit compositionem; imò etiam imperabit, in casu nimis intricato; (aliàs enim non licet) vel uni dimidium, & alteri alterum dimidium juris aut rei, de qua lis est, adjudicabit; memores interim axiomatis: quod si partium jura sint obscura, potius favendum sit Reo, quàm auctori. *Bonac. de peccatis, d. 2. q. 4. p. 9.*

Quæres II. Ad quid teneatur Judex, qui sententiam injustam tulit?

Resp. I. Si dolo, vel (ut dixi d. 2. a. 1.) magna imperitia id fecit, litem fecit suam, i. e. damnum partis læsæ in se transtulit, cui tenetur restituere, *Bonac. d. 10. q. 2. p. 4. ex S. Thom. §. v. supra d. 10. a. 1.*

Resp. II. Si alioqui dignus suo munere, (tameñ id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem, ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum injuriam formalem non intulerit.

V. 2. Inn. XI.

tulerit; neq; aliquid commodi ex tali sententia acceperit, vel potius (secundum alios) cum culpam Theologicam non commiserit, debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo. *Laym. l. 3. tr. 6. c. 2. n. 11.*

*Quæres III.* An sententia Judicis injusta obliget in foro conscientia?

*Resp.* Sententia injusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis juris simpliciter necessarii, si ve feratur per falso allegata, & probata, si ve ex Judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientia, manetque parti læsæ, tametsi non appellet, jus suum, licebitque, si absq; scandalo possit, recuperare bona, *S. Thom. Sayr. Bon. d. 10. q. 2. p. 4. Trul. l. 8. c. 1. d. 7.* Ratio, quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem judicii, hoc est, ut est determinatio juris, & definitio justitiae.

Dixi, in foro conscientia, quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio juridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala, & incommoda: neq; elapso termino, ( intra quem appellare licebat ) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritia, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis, *Trul. l. 8. c. 4. d. 7. ex Sayr. &c.* Unde resolves.

I. Is, cujus bona per sententiam manifestè injustam adjudicata sunt alteri, potest ( nisi alter justè præscripserit ) per occultam compensationem ea recipere, quia recuperat jus suum. *ibid.*

II. Qui sciens per injustam sententiam mala fide accepit bona, tenetur ea semper restituere, nec unquam præscribere potest, quia sunt aliena,

& possessor malæ fidei nunquam præscribet; imò tenetur expensas restituere, & compensare damnum etiam si pars læsa non appellaverit, cum non renunciet ideo juri suo.

III. Qui bona fide rem postulavit à Judice, & bona fide accepit, intelligitq; ante tempus præscriptionis finitum, fuisse sententiam injustam, tenetur eam, non tamen expensas, restituere. Si vero possedit rem bona fide, tempore ad præscribendum necessario, non tenetur restituere, & quia legitime præscripsit. *Salon. Sæyr. Trul. l. c.*

*Quæres IV.* Quid liceat Judici circa munera?

*Resp. I.* Etsi à partibus munera liberalia accipiens aliquando peccet, vel ob scandalum, vel ob periculum pervertendi justitiam; acceptorum tamen dominium comparat, spectato jure naturæ.

*Resp. II.* Etsi lex positiva munerum acceptationem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem, ante sententiam Judicis, nisi lex exprimat, quod non illicita tantum, sed etiam invalida sit acceptio. *v. Bon. in 8. præcept. q. 2. p. 8. Laym. l. 4. c. 4. n. 9. & 10.*

*Resp. III.* Si Judex injustè extorqueat munera nolens facere quod justum est, & debet, nisi cedentur, tenetur ea restituere: uti etiam, si quid datum sit ad redimendam vexam, v. g. ne injustè favoreat parti adversæ; ne causam nimis differat. Quamquam hoc casu interdum præsumi possit, datoque remittere obligationem restituendi, *Laym. l. 4. c. 4. n. 9. & 10.*

*c. ex Cab. & Rebell. & c.*